



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Dispvatio V. De Priuatione, & vnione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

ex materia, quæ ex se est indifferens ad vtrumque: & similiter forma aquæ est principium physicum, cur aqua recipiat violenter calorem potius, quam frigus; & forma cæli est principium, cur cælum moueatur naturaliter motu suo circulari.



DISPUTATIO V.

DE PRIVATIONE ET VNIONE.



In hac Disputatione consequenter ad tractatum de duobus principiis corporis naturalis agitur de tertio principio, quod diximus supra esse Priuationem: & quia de eo paucissima hic examinanda sunt, ne disputatio breuior esset, agendum etiam videbatur in ea de vnione, quæ requiritur, vt forma tollat priuationem, & vt sequatur compositum, de quo agendum erit disputatione sequenti.

QVÆSTIO I.

Quomodo Priuatio principiet corpora naturalia.

1. **S**uppono priuationem secundum omnes esse carentiam formæ in subiecto apto habere formam, & consequenter distingui solū à negatione per connotationem istius aptitudinis: vnde etiam sequitur, quod priuatio duobus modis possit tolli à subiecto, primo per positionem formæ, quæ priuat, secundo per ablationem istius aptitudinis, si auferri possit sine destructione subiecti.

Suppono secundo ex dictis in Logica in disputatione de ente rationis, priuationem non esse ens rationis, cū sit in rebus independentem ab omni operatione intellectus & potentie cuiusvis vitalis; an autem debeat dici ens reale priuatum, est quæstio de nomine: & si intelligatur per ens reale priuatum aliquid, quod non est ens rationis, nec ens reale positum, melius dicitur, quod sit ens reale priuatum: imo potest dici absolute & simpliciter ens reale, quatenus ens reale opponitur enti rationis, seu quatenus omne illud dicitur reale, quod non est ens rationis. Sumit autem specificationem suam à forma, cui opponitur non intrinsece, quasi forma esset de eius essentia; sed extrinsece, quatenus ex eo, quod priuat tali forma, cognoscitur, quod distinguatur specificè à priuatione, quæ priuat alia forma speciei distincte; tot autem debent dici esse priuationes, quot sunt formæ realiter distinctæ, quibus priuatur subiectum: si enim vna sufficeret, adueniente vna forma nō tolleretur priuatio, & sic forma & priuatio essent simul, quod implicat.

Quid requiritur ad priuationem

2. **S**uppono tertio, vt aliquid habeat priuationem proprie dictam, non sufficere quod habeat carentiam formæ & aptitudinem remotam, quia alias catulus ante nonum diem diceretur cæcus, id est priuatus visu, quod est cōtra communem modum loquendi Philosophorum, à quo in questione de nomine non est recedendum. Itaque requiritur ad priuationem talis aptitudo, vt pro eodē instanti reali, pro quo dicitur res priuata, possit naturaliter habere formam priuatam, & si habeat aliquid impedimentum, non magis petat naturaliter pro illo instanti habere illud impedimentum, quam ipsā formam. Et hinc patet, cur catulus ante nonum diem non dicatur priuatus visu ex eo, quod ante illum diem habeat impedimentum ne possit recipere visu; materia vero habens formā ligni dicatur habere priuationem formæ ignis, quamuis habeat impedimentum positum ne possit recipere formā ignis; nā disparitas est, quod catulus sperat habere naturaliter istud impedimentum ante illū diem ita, vt naturaliter nō possit habere visum ante illū diem; materia vero nō petat habere naturaliter potius formā ligni, quo impeditur à forma ignis, quam ipsam formam ignis: cuius indicium est, quod naturaliter pro illo instanti possit esse sub forma

ignis tam bene quam sub forma ligni, licet per accidens sit sub forma ligni ex eo, quod antecederet ad illud instans non fuerint applicatæ causæ productiue formæ ignis.

CONCLUSIO I.

3. **N**on requiritur ad generationem, quod priuatio præcedat formam tempore in materia, neque extra materiam. Hæc est conformis principiis Doct. 2. d. 1. q. 2. & eam sequitur Auerſa quæst. 10. de rerum principiis; est autem contra Thomistam communiter, & contra *Maſtrium* disp. 4. quæst. 3. quamuis forte in re quæstio sit de nomine.

Priuatio non necessaria præcedit generationem tempore.

Probat quoad primam partem, quia generationem vermis ex speciebus sacramentalibus nō præcessit tempore materia, quandoquidem, vt communiter tenent Theologi esse de fide, non sit vlla materia sub illis speciebus, ex qua fieret illa generatio, & consequenter à Deo miraculose produceretur: ergo non præcessit priuatio in materia tempore istam generationem.

Confirmatur, quia si Deus produxit de nouo materiam sine vlla forma in instanti. A. & in eodem instanti applicaret ipsi ignem taliter, vt posset formam suam in illa producere, fieret generatio ignis, & tamen non præcessisset illam tempore priuatio in materia, quandoquidem materia ipsa taliter non præcessisset.

4. **E**t si dicatur ad hæc, quod illæ actiones non sint generationes. Contra, quia non potest vllum prorsus discrimen intrinsecū assignari inter actionem, qua ignis produceret formam ignis in materia tempore præexistente suam actionem, & actionem, qua produceret formam ignis in materia non præexistente: ergo si illa esset generatio, & hæc etiam erit generatio: quid enim conducit ad variationem actionis, quod materia præcesserit tempore vel non præcesserit, quando siue præcesserit, siue non præcesserit, semper habet eundem terminum ad quem, tam totalem, id est compositum, quam formalem, id est formam, præsertim cum forma etiam produceretur cum dependentia à materia tam in vno casu quam in altero.

Confirmatur, quia tam bene posset dici quod actio, qua produceretur aliquid ex materia prius habente formam ligni, distingueretur essentialiter, & specificè ab actione, qua produceretur aliquid ex ea, si prius haberet formam aquæ, quam quod actio qua produceretur aliquid ex ea prius tempore existente, distingueretur specificè ab actione, qua produceretur aliquid ex ea non prius tempore existente: ergo sicut istud absurde diceretur, ita & hoc.

Probat utraque pars in prima rerum creatione Deus potuit generare ignem, & tamen tum non præfuisse priuatio tempore, nec in materia, nec extra materiam, quandoquidem nec ipsum tempus præfuerit.

5. **P**robat ut secundum, quia Deus ab æterno potuit generare aliquid compositum, cum in hoc nulla sit implicancia: sed in tali casu non præcessisset generationem illam priuatio in materia, nec extra materiam. Et quamuis aliqui negent hoc posse fieri, tamen reuera repugnantia non est ex parte generationis, quasi generatio essentialiter peteret, quod præcederet ipsam tempore priuatio: sed ex aliis capitibus, de quibus alias.

Confirmatur, quia potest optime intelligi, quomodo necessaria sit priuatio ad omnem generationem, & quomodo sit principium intrinsecum ipsius, quamuis non præcesserit tempore, vt statim ostendimus: ergo non est necesse vt præcedat tempore. Consequentia patet, quia ideo solum asseritur necessitas talis præcedentiæ, quia alias sequeretur, quod non esset intrinsecum & necessarium principium.

Obiicit ex *Maſtrio*: productio qua produceretur compositum ex materia, in qua non præcessisset tempore priuatio, non esset generatio, sed creatio: ergo vt priuatio principiet corpora generata, debet præesse tempore.

Confirmatur, quia secundum *Scotum* 4. d. 11. quæst. 4. creatio & generatio differunt penes terminum à quo: sed creatio habet pro termino à quo negationem extra genus, quæ scilicet non inest vlli subiecto; ergo generatio debet habere

habere negationem in genere, seu subiecto pro termino à quo.

Respondetur negando antecedens, cuius oppositum patet ex eo, quod ignis applicatus materiae dispositae posset ex ipsa producere alium ignem; sed non potest creare; ergo productio compositi ex materia non præsupposita tempore non necessario est creatio.

Ad confirmationem dico, quod generatio & creatio distinguantur penes terminum à quo, quatenus terminus à quo creationis, est negatio rei creatæ secundum se totam, ita, ut nec subiectum quidem ipsius præcesserit; terminus vero à quo rei generatæ sit negatio ipsius, non tamen ita quin præcesserit materia ipsius saltem naturæ, & quin etiam præcesserit aliquo modo negatio formæ ipsius in subiecto, seu materia eius.

CONCLUSIO II.

7. *Ad generationem requiritur ut priuatio sit prius natura in materia, quam forma, non tamen positue, sed negativæ.* Hæc est Scoti supra & Auerstæ.

*Probat*ur, quia præcedere debet formam aliquo modo, quandoquidem sit terminus à quo generationis; ergo cum non debeat præcedere tempore, debet præcedere natura.

Confirmatur, quia non potest intelligi generatio, ut mutatio est, quin intelligatur per ipsam materiam transire à non esse formæ ad formam; ergo necessario debet prius intelligi non esse formam in materia, quam ipsa forma, ut intelligatur generatio. Antecedens, præterquam quod patet ex definitione mutationis, probatur ulterius, quia si materia haberet formam ex se, non posset intelligi mutari ad formam ex se: ergo ut intelligatur mutari, debet intelligi non habere formam ex se; ergo debet intelligi sub non esse formæ quantum est ex se, & consequenter sub priuatione.

Confirmatur secundo, quia aliàs priuatio non esset principium intrinsecum generationis.

8. *Dices* esse principium intrinsecum generationum, quæ modo naturali sunt, non vero quæ supernaturaliter, aut à solo Deo fiunt.

Contra, quia sic etiam posset dici quod forma, quæ præcedit formam generandam, esset principium generationis, & etiam priuatio ipsius, quod est secundum omnes absurdum. Probat sequela, quia tam necessario in generationibus, quæ à causis secundis modo naturali sunt, alia forma præcedit formam generandam, quam priuatio formæ generandæ, & etiam tam necessario ponitur priuatio formæ destruedæ, quæ ante fuit, quam priuatio formæ generandæ: ergo tam erunt intrinseca principia generationis forma destrueda, & eius priuatio, quam forma generanda, & eius priuatio.

9. *Probat*ur secunda pars, quia quidquid est positue prius natura alio, est simul tempore cum ipso, omnia enim instantia naturæ clauduntur in unico instanti reali temporis: ergo si priuatio sit prius natura positue in materia, quam forma, erit simul tempore cum forma, & sic priuatio & forma ipsi opposita erunt in eodem instanti temporis, quod implicat.

Confirmatur, quia materia est prius natura positue, quam forma, & simul tempore cum forma, & idem est de animali respectu rationalitatis, & ceteris omnibus: ergo quod est prius natura positue quam aliud, est simul tempore cum illo.

*Probat*ur tertia pars, quia si debet esse prius natura, & non sit positue prius, debet esse negativæ prius.

Confirmatur explicatio quid sit priuationem esse prius naturæ negativæ, quia hoc non est aliud, quam quod priuatio formæ reuera inesset materiae pro instanti generationis, si non fuisset per generationem forma producta in ipsa: sed certum est, quod hoc sit verum: ergo certum est, quod priuatio sit prius natura negativæ in materia, quam forma, etiam in instanti generationis.

CONCLUSIO III.

10. *Priuatio per hoc principiat, quod non sit, seu ut alij dicunt, per suum non esse.* Hæc videtur esse magis communis, & probatur, quia tam principiat, quando educitur

forma: sed quando forma educitur, priuatio non est, aliàs forma, & priuatio essent simul realiter: ergo.

Et si dicatur, illud quod non est non posse principiare.

Respondetur hoc esse verum de principio realiter influente, aut realiter constituyente, non vero de principio, quod habet solum esse tale per hoc, quod sit terminus à quo, ut est priuatio.

Dices, ad hoc ut sit terminus à quo generationis, debet materia recedere ab ipso ad formam: sed iam dictum est quod non sit necesse ut sit priuatio in materia ad generationem: ergo non est necesse, ut materia transeat ab ipso, & consequenter non est necesse ut sit terminus à quo generationis.

Respondetur distinguendo maiorem, positue vel negativæ, concedo; positue tantum, nego maiorem. Similiter distinguo minorem. Si autem quæras quid sit materiam negativæ transire de priuatione ad formam.

Respondetur non esse aliud, quam eam habituram fuisse priuationem si non habuisset formam, & non habere priuationem, quia habet formam.

ADDITIO.

Doctrinam, quam propono hac quæst. num. 1. Mastrius disp. 2. Met. num. 275. asserit adeo aperte esse falsam, ut nec in meis propriis principiis consistere possit, quia secundum me disp. 18. Met. num. 6. ens quod directe opponitur enti rationis, est ens reale; unde si priuatio dici potest ens reale prout ens reale opponitur enti rationis, sequitur priuationem esse ens posituum.

Sæpe infelicitate mecum contendit Mastrius; sed vix unquam quam hic infalcius, nam est evidens ex terminis, quod si caperetur ens reale sic, ut significaret quidquid opponeretur enti rationis, hoc est pro omni eo siue posituo, siue negativæ, quod non est ens rationis, quo sensu manifestum est me fuisse locutum in hac quæstione, negationes reales ac priuationes omnes, quæ non sunt entia rationis, deberent esse entia realia; nec hoc magis impugnari potest, quam totum esse maius sua parte.

Deinde licet ego concesserim in Metaphysica loco citato ens reale posituum opponi enti rationis directe, non tamen dixi, nec potui dicere, quod negatio realis non etiam opponeretur ipsi, cum sit evidens, quod non sit, nec possit esse ens rationis; unde illa consequentia Mastrij: ens reale posituum est, quod directe & immediate opponitur enti rationis, & negatio dici potest ens reale, prout ens reale opponitur enti rationis: ergo est ens reale posituum, nihil prorsus valet; quia non solum ens reale posituum opponitur enti rationis; nec quando ego dixi, quod negatio esset ens reale simpliciter, quatenus ens reale opponitur enti rationis, id intellexi de ente reali posituo; sed sensus manifestus erat, & quem quicumque vel mediocris iudicij perciperet, quod capiendum ens reale simpliciter pro omni eo, quod opponeretur enti rationis, negatio esset ens reale.

Deinde num. 278. conatur probare quod negationes & priuationes non debeant dici entia realia, nec absolute ut ego dixeram, nec cum addito nempe priuatiua, aut negatiua, ut dicunt alij; quia ens reale ut sit ex suo primario conceptu dicit quid posituum: ergo implicat in adiecto dicere ens reale negativum. Probat antecedens, quia posituum & negativum contradictorie opponuntur: ergo nedum opponuntur secundum rationes positui & negatiui; sed secundum rationem ipsam entis, seu tanquam ens reale & tanquam non ens reale. Probat consequentia, quia si non opponerentur in ratione entis realis, tunc non opponerentur ut pura affirmatio & pura negatio; tum quæ negatiuum ita directe opponitur posituo, ut tollat quidquid posituum ponit: sed in ratione positui inuenitur ratio entis realis: ergo ens reale ut sit non involuitur in ratione negatiui; tunc tandem quia quærit quid dicat ratio illius entis, quod negativum appellatur, & quare negatiuum & priuatiuum appellatur; si enim tale dicitur quia

Nn 3 exclu

Priuatio principiat per suum non esse.

excludit omnem rationem entis reale, habetur intentum, quod est purum nihil, & quod abusiue dicatur ens negatiuum reale, cum potius deberet dici realiter non ens; si autem dicatur negatiuum, quia tollit formam oppositam, licet etiam in se aliquam entitatem habeat, hoc non tollit, quin sit ens positium intrinsecè & formaliter.

Quod hæc impugnationes Mastrij nihil prorsus concludant, nec faciant ad rem, condonandum est, quia proposuit improbare, quod improbari reuera nequit; sed impossibile aggredi non deberet.

Dico ergo ex suppositione, quã admittit ipse Mastrius, quod datur à parte rei ante opus intellectus negationes & priuationes, quæ nõ sunt entia rationis, nõ posse quæpiam rationis capacem dubitare, quin capiendò per ens reale, quidquid est à parte rei & nõ est ens rationis, negationes tam bene ac proprie vocari entia realia quam ipse Mastrius, & capiendò per ens reale negatiuum & priuatiuum, quod est à parte rei, & nullam formalitatem positiuam includit, nõ posse controuerti, quin negationes & priuationes sint entia priuatiua & negatiua: nec aliud ego, & illi alij, quos impugnat Mastrius, interdimus quã hoc quod euidentissimè esse confirmo: quia certe posset homines instituere has voces ens reale ad significandũ quodcũque, quod nõ est ens rationis, siue sit positium, siue negatiuum, & posset instituere has voces; ens reale priuatiuum & negatiuum ad significandum negationes & priuationes reales, voces enim sũt ex instituto: sed si hoc fieret, esset verũ quod ego docui, & illi alij, quos Mastrius impugnat. An autem de facto sit illa institutio, est mera quæstio de nomine: sed nõ est dubitandi locus, quin, quod ego dixi, sit de facto etiã verum, quia dixi tantũ quod capiendò ens reale, prout opponitur enti rationis, hoc est prout tale diceretur, omne illud, quod nõ esset ens rationis, negationes & priuationes absolute & simpliciter posset vocari entia rationis. Quod etiã de facto sit illa institutio de ente reali priuatiuo & negatiuo, sufficiẽter probatur per consensũ Authorũ, qui illo modo loquũtur; quamuis generaliter nõ esset admissa ab omnibus: nam Authores particulares aliquando vtuntur modo loquendi nouo ad declarandos suos coceptus, & quando significant sufficienter, quod volunt, sæpe faciunt optime. Ex quibus facile patet impugnationes Mastrii esse cæteris suis simillimas, sed placet respondere sigillatim.

Ad primam, Respondeo primò quamuis de facto ens reale simpliciter acceptum dicatur de ente positium, tamen non inde sequi, quin si caperetur prout opponitur enti rationis, seu prout omne illud diceretur ens reale, quod non esset ens rationis, posset priuatio & negatio dici ens reale; hoc est autem quod ego dico, vnde prima hæc improbatio nihil facit contra me.

Respondeo secundo, directe negando consequentiam; quia sicut licet esse hominem, ex primaria significatione significat illud, quod est animal rationale, tamen non sequitur, quin aliquid quod non est, nec potest esse tale animal, dicatur homo cum aliquo adiuncto ex quo datur intelligi, quod non significet tale animal, sed aliquid aliud, vt patet ex eo, quod aliquid, quod non est tale animal vocatur homo secundum quid, verbi gratia, homo pictus: ergo quamuis ens reale significet primario ens reale positium, potest tamen cum adiuncto, ex quo datur intelligi, quod non capiatur in illa significatione, dici de aliquo, quod non sit tale ens: sed tale additum est ly negatiuum, vel priuatiuum: ergo potest dici de priuatione, quod sit ens reale priuatiuum.

Respondeo tertio, negando etiam consequentiam; quia quauis ex primaria significatione significaret ens positium, posset tamẽ ex secundaria significatione significare aliquid, quod nõ est ens positium propter proportionem, quam haberet cũ ente illo reali positio, sicut patet de Ly sano & alijs similibus analogis: sed negatio aliquã habet proportionẽ cam ente reali positio, quatenus scilicet potest esse à parte rei absque fictione, tam bene quam ens positium: ergo posset vocari ens reale ex

secundaria institutione & quidẽ congruentissime, quauis ageretur de distinctione ipsius ab ente rationis, & à fortiori posset vocari ens reale negatiuum aut positium.

Quod vltèrius confirmo, quamuis non sit necesse: quia ipsam ens ex prima sua institutione significat ens reale positium, & tamen potest dici & dicitur de facto de ente rationis cum particula denotante, quod non capiatur pro ente reali, verbi gratia, cum ly rationis: ergo idem dici potest de ente reali, quod cum particula denotante, quod non capiatur pro ente reali positio, dici possit de aliquo, quod non sit tale ens reale, non obstante sua prima institutione.

Ad probationem antecedentis adductam à Mastrio, concedo totum; quia sine dubio negatio opponitur enti positio in omni ratione positiua quam includit & consequenter negatio non dicit ens reale positium, nec aliquid positium in ente reali positio; nec vllus oppositum somniauit; sed inde non sequitur quin negatio possit dici ens reale negatiuum, quia per hoc non denotatur, quod aliquid positium inclusum in ente reali inuoluatur; sed potius oppositum; nec sequitur etiam, quod non possit dici ens reale; non quidem prout ens reale significat quid positium reale, sed prout capitur pro omni eo, quod non est ens rationis.

Ad primam probationem consequentiam ipsius, concedo quod negatio opponatur enti reali positio in ratione entis realis positio & entis realis simpliciter, & secundum primariam institutionem; sed nihil inde sequitur ad positum contra nos. Similiter etiam peccat secunda probatio consequentiam, quæ tota posset concedi absque præiudicio aliquo nostro, sed respõdeo tamen aliter distinguendo consequens: ergo ratio entis realis vt sic, quatenus significat ex primaria institutione ens positium reale non inuoluitur in negatiuo concedo: ergo ratio entis realis negatiui non inuoluitur in ipso, aut ratio entis realis prout ex secundaria institutione significat omne illud, quod opponitur enti rationis, non inuoluitur in ipso, nego consequentiam, quia hæc ratio non necessario importat positium; quid.

Ad tertiam probationem, Respondeo per ens reale, quod dicitur de negatiuo intelligi aliquid, quod est à parte rei absque fictione, & illud dici negatiuum, quia nihil positium in se includit, vnde excludit omnem rationem entis realis vt sic, prout ens reale ex primaria institutione significat ens reale positium; non vero excludit rationem entis realis negatiui magis, quã homo pictus excludit rationẽ hominis picti, licet excludat rationẽ hominis veri, nec excludit rationẽ entis realis absolute, prout tale dicitur omne, quod nõ est ens rationis.

QVÆSTIO II.

An, & quid sit vnio materie ad formam.

11. Omnes concedunt materiam, & formam vniri debere inter se physice ac intime ad hoc, vt constituent totum per se substantiale, sed difficultas est, per quid formaliter vniantur, seu in quo consistat formaliter vnio ipsarum. Aliqui putant materiam & formam intime vniri seipsis, supposita indistantia earum, ac intima præsentia, nec ad hoc requiri aliquam entitatem superadditam ipsis, qui esset modus absolutus, aut respectus. Ita Occamus 1. d. 3. o. q. 1. Greg. d. 28. q. 2. Aureolus. 4. d. 44. Caiet. 3. p. q. art. 7. Ioannes à S. Thoma q. 6. a. 3. Alii vero tenent requiri aliquid tertium, quod sit nexus & vinculum earum: sic Scotus 2. d. 3. q. 4. & in 4. d. 12. quem præter suos omnes sequuntur principales Thomistæ, & recentiores, quos citant & sequuntur Complutenses disp. 6. q. 2. Auerſa qu. 19. sect. 5. Arriaga disp. 4. sect. 1. Inter hos autem authores est alia controuersia, an illud tertium sit respectus, vel modus positius absolutus. Scotista tenent, quod sit respectus, reliqui existimant, quod sit quid positium absolutum.

CONCLUSIO I.

12. Requiritur aliquid distinctum realiter inter materiã, & formam per quod formaliter vniantur. Hæc est communior cum secunda sententia contra primam.

Probatur, quia impossibile est, aliquid prædicatum reale

Vnio est
quid distinctum
à rebus
vnitis

reale competere aliquibus de nouo sine aliqua mutatione reali, vt de se est euident: sed materia cõpetit de nouo esse realiter informatam à forma, & forma esse realiter informantem, & vtrisque esse realiter vnitas, & constituentes totum: ergo fit aliqua mutatio realis, ratione cuius hoc ipsis de nouo competat: ergo aliquid de nouo fit, à quo habent istas reales denominationes: sed illud non potest esse aliud quam vnio, quæ sit realiter ab ipsis distincta (capiō autem hic distinctionē realem, prout comprehendit distinctionem modalem) ergo.

Probat̃ur secundo: materia & forma possunt simul existere in rerū natura sine eo, quod formaliter & intrinsece inter se vniantur: ergo non habent esse sic vnita à se ipsis formaliter, quæcunque enim se ipsis vniantur, aut quomodocunque referuntur ad se inuicem, non possunt esse simul, quin ita vniantur & referantur: ergo vt formaliter vniantur, requiritur aliquid aliud ab ipsis ita distinctum, vt possint esse sine illo à parte rei: sed illud est, quod nos vocamus vnionem formalem: ergo datur inter illa talis vnio.

Dices sufficere, vt de nouo vniantur, quod ponatur vnio efficiens, hoc est actio agentis vnientis ipsa.

Contra primo, quia vel illa actio est in extremis vnitis, vel extra ipsa, si sit in ipsis, habetur intentum, quia conceditur aliquid dari inter ipsa, per quod vniantur, & sine quo non vnirentur; si sit extra: ergo per illam nõ vniantur: apparet enim absurdum, quod per aliquid extrinsecum illis vniantur.

13. Contra secundo, quia non potest dari actio noua realis de prædicamento actionis, de qua loquimur, quin sit terminus nouus realis per eam productus; nihil enim est aliud actio, quàm id, per quod formaliter constituitur agens producens aliquid: ergo non potest agens habere actionem nouam & realem circa materiam & formam (si præexisterent non vnita, vt posset fieri secundum omnes) quia ipsas vniret, nisi aliquid inter ipsas produceret distinctum ab actione & materia ac forma.

Dices sufficere pro termino actionis totum compositum, quod constituitur per formam & materiam.

Contra, vel illud totum compositum est aliquid præter partes, vel non; si sit, habetur intentum: si non, ergo nulla responsio, quia non ostenditur quomodo possit saluari noua actio.

Dices, illud non esse aliquid præter materiam & formam vnitas.

Contra, quia vel materia & forma vnita dicunt aliquid præter materiam & formam, vel non, & redit argumentum.

14. Dices cum Caietano, compositum dicere tertiam entitatem distinctam realiter à partibus, & illud per illam actionem produci, non tamen haberi intentum conclusionis, quæ vult aliquam vnionem præuiam ad tertiam entitatem.

Contra, quia efficiens non potest producere tertiam entitatem, nisi concurrentibus materia & forma, & consequenter iisdem applicatis sufficienter: sed non applicatur ad constitutionem totius sufficienter, nisi vniantur, quia per hoc ipsum constituunt, quod inter se vniantur, ergo prius debet saluari vnio ipsorum quam compositum, & consequenter nulla responsio. Adde communiter ab aduersariis negari illam tertiam entitatem.

15. Confirmatur, quia debent necessario admittere vnionem inter albedinem & parietem, neque possunt illam saluare per illud de tertia aliqua entitate, cum non sit ibi vlla tertia entitas secundum vllum ex ipsis: sed si, vt paries & albedo vniantur, requiritur vnio distincta ab ipsis, etiam à paritate rationis requiritur, vt materia & forma vniantur, vt videtur euident.

Dices, non posse quidem materiam & formam vniri de nouo, quin detur de nouo aliquid, quod non fuit antea, sed illud nouum non debere esse aliquid positiuum, sed indistantiam, seu negationem distantia: vnde eo ipso, quo ponitur illa indistantia, materia & forma se ipsis vniantur.

Contra sic, illa indistantia esset vnio ipsarum, vel saltē

conditio necessitans ad hoc, vt se ipsis vnirentur; sed hoc est falsum, vt dicemus conclusione sequenti: ergo & responsio est falsa, ex qua sequitur.

Contra secundo, quia ipsamet indistantia, seu præsentia intima est quid positiuum: ergo quamui in ea consisteret vnio, adhuc vera esset conclusio. Probatur antecedens tum quia ponitur per actionem nouam realem; tum quia ipsa distantia est quid positiuum, ergo & præsentia; tum denique, quia secundum aduersariū ipsa distantia est negatio: ergo indistantia, seu præsentia non est negatio, quia alias vna negatio tolleretur præcise per aliam, quod implicat.

16. Obijciēs primo: sequeretur quod non vnirentur immediate, & consequenter quod non facerent vnum per se, quod est absurdum.

Respondeo distinguendo sequelam, id est, sine aliquo ab ipsis realiter distincto, concedo: id est, sine aliquo quod prius informaretur à forma quàm materia, aut quod prius actuaret materiam vt quod, quam forma, nego sequelam, & consequentiam.

Obijciēs secundo: sequeretur quod ipsa vnio vniretur per aliam vnionem, & sic in infinitum.

Respondeo negando sequelam, quia sicut quantitas nõ est quanta per aliam quantitatem, quia ipsa est ratio formalis faciendi quantum; & sicut relatio alicuius ad aliud non refertur per aliam relationem ad illud aliud, quia est ratio formalis referendi ad illud; ita vnio cum sit ratio formalis vnienti materiam cum forma, non debet vniri per aliam vnionem ab ipsa.

Confirmatur, quia propterea colligitur quod sit requisita vnio distincta inter materiam & formam, quia posset existere à parte rei sine vnione; & certe si nõ possent existere sine vnione, nõ deberet superaddi ipsis vnio distincta: sed sic est quod vnio nõ possit existere simul cū materia & forma, quin vniantur vtrique vel alteri ex ipsis, nec è contra: ergo non debet dici, quod vniantur per aliam vnionem. Et hinc soluitur cur ipsa forma nõ possit dici se ipsa vniri tam bene, quam vnio dicitur, & cur etiam forma & materia, quamuis possit existere sine vnione, non tamen vniantur vnioni per aliam vnionem.

17. Obijciēs tertio. Verbum diuinum vnitur naturæ humanæ: siue vlla vnione; neque enim potest esse capax vnionis, quamuis possit simul existere cum natura humana sine tali vnione: ergo quamuis materia possit existere simul cum forma absque vnione, tamen potest vniri ipsi sine vnione.

Respondeo distinguendo antecedens: sine vnione in ipso intrinsece subiectata, concedo: sine vnione ad ipsum terminata, nego antecedens. Vnde argumentum est ad oppositum: Verbum diuinum ex eo, quod possit existere simul cum natura absque eo quod vniantur, non potest ipsi formaliter vniri absque vnione; vel in se subiectata vel ad se terminata: ergo similiter dicendum est de materia & forma.

18. Obijciēs quarto: vel illa vnio esset prior in materia quam forma, vel simul, vel posterior; primum & secundum nequit dici, quia respectus supponit extrema; si dicatur tertium, ergo superfluit, quandoquidem forma sit in materia absque illa.

Respondet Mastrius, quod sit posterius in materia, quæ forma posterioritate naturæ, & tamen non superfluit, quia forma in illo posteriori non est in materia formaliter, sed fundamentaliter.

Contra, quia si est vllō modo in materia ante vnionē, est ibi secundum suum esse formale: ergo est ibi formaliter.

Deinde ad quid requiritur, quod sit ibi aliquo modo secundum suum esse formale?

Respondeo ergo aliter, quod vnio sit in materia priusquam forma, prioritate à quo, quia est ratio formalis ponendi formam in illa: neque est verum quod relatio vniuersaliter supponat extrema in esse aliquo, quando ab ipsa habetur formaliter, quod extrema habeant illud esse, de quo alias lib. 2. *Physic.* dum agitur de causalitate efficientis & materialis causæ.

Na 4 CON

CONCLUSIO II.

Vnio
non est
indistan-
tia aut
intima
praesentia.

19. *Vnio materiae & forma non consistit in indistantia aut intima praesentia locali ipsarum; neque etiam in dispositionibus illis prauiis, quibus prepararetur materia ad formam, quae dispositiones essent forma absoluta, ut quantitas cum qualitatibus talibus vel talibus; neque etiam ad illam indistantiam ac dispositiones sequitur necessario, quod aut seipsi, aut per aliam vnionem superadditam vniantur.* Hæc est contra Nominales, Probat Arriaga hanc conclusionem, quia mors hominis est corruptio substantialis, ergo aliquid substantiale debet perire: sed nihil perit præter vnionem, ergo vnio, qua vniantur partes hominis, debet esse quid substantiale, & consequenter non consistit in illis dispositionibus, & indistantia seu praesentia locali, quæ sunt accidentia.

Hæc probatio non valet, falsum enim est subsumptum non solum in nostra sententia, qui ponimus tertiam entitatem distinctam à partibus vnitis; quæ entitas est substantialis & perit pereunte vnione, quæ prærequiritur necessario ad illam; sed etiam in opposita sententia id negante, quia licet in ea vnio esset accidens, & licet non periret illa entitas simplex præter illam vnionem, tamen verum esset dicere, quod periret aliquid, de quo prædicatur quod sit substantia, verum enim esset dicere, quod periret homo, qui simpliciter dicitur substantia, neque corruptio hominis dicitur substantialis alia ratione, quæ quod aliqua substantia per illam pereat hoc modo.

20. *Dices cum Arriaga, licet dicatur tum homo periisse, hoc tamen reuera non esse aliud quam aliquid periisse, quod essentialiter requirebatur ad constitutionem hominis, & inde denominari ipsum hominem periisse; ergo si vnio, quæ est illud, quod vere & formaliter perit, sit accidens, corruptio non debet dici substantialis, quamvis substantia hominis denominetur per illam corruptionem periisse.*

Contra, quia reuera non solum vnio perit, sed homo perit siue denominatiue siue formaliter: sed nihil requiritur ad hoc, quod corruptio dicatur substantialis, quam quod substantia dicatur periisse per eam, siue denominatiue dicatur periisse, siue formaliter.

Confirmatur: non per corruptionem aut definitionem vnionis præcise habet definere homo, quia si poneretur vnio absque materia & forma, & definirer, non posset tam dici definere homo, nec illa definitio esset definitio substantiæ hominis: ergo ab aliquo alio habet dici talis definitio, nimirum ex eo, quod fuit per illam vnionem positus homo, & ex eo quod postea ea definente non remanet homo: sed hoc esset æque verum, siue vnio esset substantialis intrinsece, siue non: ergo posset saluari destructio substantiæ hominis, quamvis vnio non esset intrinsece substantialis, & consequenter posset destructio hominis vocari substantialis, quamvis vnio esset accidens.

21. *Dices actionem specificari à termino formali, qualis est in casu nostro vnio, quæ definit: ergo si vnio non sit substantialis, destructio non potest esse substantialis.*

Respondeo, actionem etiam specificari posse à quocumque, de quo potest dici quod per ipsam ponatur aut tollatur quomodocumque ponitur aut tollitur per illam: sed potest dici quod substantia hominis tollatur per destructionem vnionis, ergo potest illa destructio ab hoc specificari & denominari substantialis; quod adeo evidens est, ut mirum sit posse ab ullo dubitari.

Probat idem secundo conclusionem, quia si vnio consisteret in dispositionibus accidentibus, sequeretur hominem non esse totum substantiale, quod est falsum. Hæc etiam non valet, nam falsa est sequela maioris; illud enim dicitur esse totum substantiale, cuius omnes partes sunt substantiales & ordinatæ per se ad compositionem physicam per modum actus & potentiae, & non requiritur ad hoc, quod quidquid intrinsece reperitur in illo sit substantia, nisi sit intrinsecum ipsi per modum partis. Quod si intelligat hic author, quod homo non diceretur totum substantiale in hoc sensu, quod non sit tale totum, in quo

non includatur intrinsece aliquod accidens aliquo modo, concedo sequelam, sed nego id esse absurdum, imo existimo esse omnino necessarium.

Dices non sufficere ut aliquid dicatur totum substantiale per se vnio, quod partes ipsius sint substantiae, quia alias aggregatum ex pluribus hominibus esset totum substantiale per se: ergo vnio substantialis requiritur ad hoc ut ex partibus resulter totum substantiale.

Respondeo negando consequentiam, quia licet non sufficiat quod partes sint substantiales, sufficit tamen quod sint substantiales, & habeant se per modum actus & potentiae, qualiter non se habent plures homines: sed se habent sic anima & corpus; materia, & forma physica substantialis.

Confirmatur hoc: debet esse aliqua ratio disparitatis inter partes hominis, & partes aggregati ex pluribus hominibus, ratione cuius inter illas possit in sententia aduersarij intercedere vnio substantialis & inter has non possit: sed illa ipsa disparitas sufficit ad hoc, quod dicantur facere vniam per se substantiam absque vnione substantiali, quamvis plures homines non possent facere vniam per se substantiam, quod videtur evidens.

22. *Probat ergo melius conclusio primo, quia multa inter se vnibilia, quæque non prærequirunt ad vnionem aliquas dispositiones quantitatis aut qualitatum, sunt sibi inuicem intime praesentia localiter ac indistantia, quæ tamen non vniantur: ergo vnio non consistit in illa intima praesentia ac dispositionibus, nec etiam ad illas necessario sequitur.* Consequentia est evidens. Probat antecedens, quia Verbum diuinum est vnibile tam bene cum aliis naturis humanis existentibus quæ natura de facto assumpta, & idem est de aliis Personis diuinis, & omnes tres Personæ sunt aliis naturis tam intime praesentibus localiter, ac indistantes omnibus naturis existentibus, quam Verbum est intime praesens naturæ assumptæ: sed non sunt vnitæ, ergo antecedens est verum.

Probat conclusio secundo: Posita materia prima cum omni dispositione absoluta quantitatis & qualitatis, potest poni forma indistans ab ea localiter absque vnione physica, ad quam sequeretur ex forma, & ipsa vnio per se: ergo vnio non consistit aut in illa indistantia, aut in dispositionibus, aut in vtriusque simul; nec etiam ad illa necessario sequitur siue disiunctiue, siue copulatiue. Consequentia patet: probatur antecedens: quamvis subiectum animæ separatæ esset optime ad illam dispositum, anima separata non posset vnire se subiecto; alias resurrectio hominis mortui esset naturalis, & posset fieri virtute ipsius animæ; quod videtur absurdum: sed posset facere se intime praesentem illi subiecto, & casu quo id faceret esset illud subiectum cum omnibus dispositionibus indistans localiter ab illa, neque tamen sequeretur vnio: ergo verum est antecedens.

23. *Probat secundò idem antecedens, quia si duo homines aut duæ aquæ essent simul penetratiue in eodẽ loco, formæ ipsorum essent eorum materiis intime praesentes, & illæ materiæ essent optime dispositæ ad illas, quia dispositio sufficiens ad vniam animam rationalem, aut ad vniam formam aquæ, est sufficiens æquæ ad aliã animam rationalem, & aliam formam aquæ eiusdem omnino rationis; sed tum anima vnus hominis non esset vnita corpori alterius, nec forma vnus aquæ materiæ alterius, ut est certum apud omnes: ergo possunt esse illæ dispositiones ac indistantia absque tali vnione, & consequenter neque consistit vnio in illis, neque necessario sequitur ad illa.*

Dices, non esse dispositiones omnes in eo casu in materiis, quia vna ex dispositionibus aut conditionibus necessariis ad vniam formam est, quod sit negatio alterius formæ in materia; in eo autẽ casu non esset talis negatio.

Contra, quia negatio alterius formæ non potest esse conditio necessaria, nisi quatenus vna forma esset incompatibilis cum altera in materia: sed in primis non est incompatibilis de potentia absoluta, ut supra vidimus: ergo non impediret quo minus alia forma esset vnita, quando simul ponerentur indistantes.

Deinde

Deinde non est vilo modo incompatibilis cum alia forma in materia, si eodem modo alia forma est, in materia ac ipsa est: sed in casu posito essent eodem modo in materia iuxta aduersariorum sententiam, quia vna non esset nisi per hoc quod esset indistans à materia sibi disposita: sed altera esset indistans ab eadem materia; & consequenter negatio formæ prioris non requiritur vt alia sit vnita materiæ simpliciter.

24. *Probaturs tertio*, declarando conclusionem: possumus philosophari de duabus indistantiis seu præsentibus intimis localibus, de vna quidem; quæ haberet talem rationem, vt ea posita non posset vnum ex rebus indistantibus moueri localiter, quin altera moueatur: de alia vero, quæ haberet talem rationem, vt poneret quidem res indistantes, sed taliter tamen, vt ab agente loco motiuo vt sic posset vna ex illis rebus moueri loco, quin altera res moueatur. Et hæc duæ indistantiæ habentur de facto, vna quidem inter Angelum & corpora, quibus est præsens, & inter duo corpora penetrata; altera vero inter materiam & formam, subiectum & accidentia. Ex illis verò prima non solum habet virtutem faciendi res indistantes localiter, sed etiā vniendi physice, vt patet; secundum solum habet virtutem faciendi res indistantes præcise.

25. Hoc supposito, quæro ab aduersariis, quando dicunt materiam & formam vniri per indistantiam ac dispositiones, siue tanquam per vnionem, siue tanquam per conditionem sine qua non; an loquantur de indistantia primi generis, an secundi. Si de secunda, manifestum est quod falsa sit eorum sententia, quia vnio physica est talis naturæ vt vnum ex vnitis nequeat localiter moueri, quin alterum moueatur. Quamuis autem formæ essent indistantes indistantiæ secundi generis, vnum ex ipsis posset moueri localiter altero non moto: ergo non vniuntur physice posita tali indistantiæ. Si vero loquantur de prima, in re conueniunt nobiscum, quia illa vnio, quam nos superaddimus, in re est talis indistantiæ: facit enim materiam & formam indistantes sic, vt vna nequeat moueri localiter, quin altera moueatur; nec in hac conclusione negamus, quin vnio consistat in tali indistantiæ: sed quod negamus est, quod non eo ipso præcise quo materia & forma sint indistantes localiter secundum conceptum præcise indistantiæ, habent esse vnita. Quod sic probatur: haberent esse indistantes distantia secundi generis, sed non haberent esse vnita: ergo non sufficit quod sint indistantes præcise.

Dices: Indistantia est quid negatiuum, est enim negatio distantia, ergo non possumus tenere, quod vnio sit indistantia vilo modo.

Respondeo primo, distinguendo antecedens: indistantia quæ solum habet rationem indistantiæ, transeat; quæ non solum sit indistantia: sed etiam vnita, nego antecedens & consequentiam.

Respondeo secundo negando antecedens vniuersaliter, neque enim à sola negatione habetur esse indistans, sed ab aliquo positivo, ad quod sequitur negatio: sicut enim ipsa distantia habetur à positivo, ad quod sequitur negatio præsentia, ita præsentia est quid positivum, ad quod sequitur negatio.

CONCLUSIO II.

Vnio est respectus extrinsecus adueniens, & non respectus extrinsecus absolutus substantialis aut accidentalis. Hæc est Doct. 3. d. 1. quæst. 1. cum suis communiter contra Thomistas & recentiores admittentes vnionem realiter distinctam à materia & forma, & probatur ex iis, quæ diximus questione prima de sex vltimis prædicamentis.

Obiicies primo: sequeretur quod materia & forma non vniuntur substantialiter, sed accidentaliter, quod est absurdum.

Respondeo distinguendo sequelam: id est, non vniuntur nisi mediante accidente, tanquam ratione formali vniendi ipsa, concedo sequelam, nec hoc est absurdum: id est, non ita vniuntur vt facerent vnā per se substantiam nego sequelam, hoc enim esset absurdum.

Dices vnionem intrinsece includi in aliquo compositio-

to: ergo, si sit accidens, aliquod accidens per se intrinsece includitur in substantia, quod videtur absurdum.

Respondeo distinguendo antecedens: tanquam pars intrinseca eius, nego antecedens; tanquam causalitas partium, aut vinculum ipsarum, concedo antecedens, & similiter distinguo consequens.

Dices: Vnio materiæ & formæ vocatur communiter substantialis, & actio, qua producitur, vocatur etiam substantialis: ergo vnio non est accidens, sed quid substantiale.

27. *Respondeo* negando consequentiam, quia vnio & actio illa vocantur substantiales, non quod vnio intrinsece sit substantia, sed quod ad eius productionem sequatur vna per se substantia, nempe homo aut aqua; & posset etiam vocari substantialis ad differentiam vnionis qua vnitur accidens subiecto, quia vnio materiæ cum forma habet pro vtroque extremo substantiam, quod non est verum de vnione qua vnitur accidens.

Dices denique: vnio debet esse proportionata composito: ergo si compositum sit substantia, vnio debet esse substantialis.

Respondeo distinguendo antecedens, id est, sufficiens ad copulandas partes eius, concedo, & nego consequentiam; alio modo, nego antecedens.

28. *Obiicies secundo*: vt copuletur partes integrales substantiæ, præter relationem vnionis ponenda sunt indiuisibilia positiua & absoluta & substantia: ergo vt copulentur materia & forma, præter relationem vnionis debet poni aliquid substantiale positiuum.

Respondeo, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam, quia partes integrales ita copulantur, vt possint esse non obstante sua copulatione extra se inuicem & non tangunt se inuicem immediate vt quod, secundum aduersarios, & consequenter debet necessario assignari aliquid aliud, quod tangant vt quod immediate, quod non est relatio, vt patet: materia autem & forma immediate se tangunt vt quod, & non mediante aliquo tertio, nec possunt esse extra se inuicem, dum coniunguntur; unde non est idem de ipsis dicendum & de partibus integralibus. Adde, argumenta quibus probantur indiuisibilia positiua & absoluta in continuo, non currere in proposito, & consequenter non hic concludere, licet ibi concludant.

29. *Obiicies vltimo*: si esset quid respectuum extrinsecum adueniens, deberet pertinere ad aliquod ex sex vltimis prædicamentis: sed non potest assignari ad quod pertineat, ergo.

Respondeo negando minorem, vel enim vnio materiæ, pertinet ad prædicamentum Passionis, & vnio formæ ad prædicamentum Actionis, vt insinuat Doct. 4. d. 1. o. qu. 1. propter proportionem, quam habet causalitas materiæ, quæ est eius vnio, cum respectu passionis: quod omnis transmutata ad agens, & proportionem res quamuis causalitas formæ, quæ est etiā eius vnio, cum actione agentis, vt transmutatur: nam forma agit formaliter in materia, eam transmutando formaliter sicut efficiens transmutando ipsam efficienter, & consequenter materia aliquo modo patitur à forma. Et sane hæc est vna ex rationibus, cur materia dicatur esse potentia, & forma actus. Vel vt ait Bassolus. 4. d. 1. 2. qu. 1. & æque probabiliter putat *Mastrins*, spectat vtraque vnio ad prædicamentum Habitus, quia per vnā dicitur materia habere formam, & per alteram forma haberi à materia. Vera autem resolutio dependet ab acceptione habitus vt sic, & actio nis ac passionis vt sic. Contra vero Bassolum nihil magis video virgere, quam quod si debet vnio materiæ dici esse de prædicamento habitus, quia per eam materia habet formam; similiter Vbi posset in eo poni, quia per ipsum non habet locum; aut saltem per vbi actiuum locus dicitur habere rem locatā: sed hæc res est parui momenti.

QVÆSTIO III.

Virum inter materiam & formam, quando vniuntur detur duplex vnio.

30. *S*upposito ex resolutione quæstionis præcedentis, quod detur aliqua vnio media inter materiam & formam,

Vnio est respectus extrinsecus adueniens, & non respectus extrinsecus absolutus substantialis aut accidentalis. Hæc est Doct. 3. d. 1. quæst. 1. cum suis communiter contra Thomistas & recentiores admittentes vnionem realiter distinctam à materia & forma, & probatur ex iis, quæ diximus questione prima de sex vltimis prædicamentis.

Ad quod prædicamentum pertinet vnio.

formam, qua vniantur, sequitur statim controuerſia alia, an ſolum ſit inter illa vna vnio, quæ aut ſubiectaretur immediate in materia & forma ſimul; aut in materia ſola, & terminaretur ad formam; aut in forma ſola, & terminaretur ad materiam; an vero ſint duæ vniones, vna ſubiectata in materia, & terminata ad formam; & altera ſubiectata in forma, & terminata ad materiam.

Prima ſententia ait vnam tantum vnionem inter illas interuenire. Hæc eſt *Suarij diſp. 15. Met. ſect. 9. Complutenſium diſp. 6. quaſt. 3. Ruuii 1. Phyiſic. tract. 2. quaſt. 6. Auerſæ quaſt. 18.* ex quibus *Suares* ſtatuit eam in ſola forma, *Ruuius & Auerſa* in ſola materia, *Complutenſes* in vtraque.

Secunda ſententia requirit duplicem vnionem, & eſt *Scoti 2. d. 1. q. 5.* & alibi ſæpe, quem præter ſuos ſequuntur. *Hurtadus diſp. 5. ſect. 7. Amicus 2. Phyiſic. tract. 11. quaſt. 10.*

CONCLVSIO.

31. Datur inter materiam & formam componentes totum duplex vnio, vna in materia terminata ad formam, altera in forma terminata ad materiam. Hæc eſt iuxta ſecundam ſententiam contra primam.

*Probat*ur: quocumque ſunt aliqua, quæ denominantur relative ad ſe inuicem denominatione mutua eiufdẽ rationis, ſi ponatur relatio in vno extremo ad dandã illam denominationẽ, debet etiam poni alia in altero extremo, ſi ſit capax eius; ſed materia & forma, quædã coponunt compoſitum, denominantur relative ad ſe inuicem denominatione eiufdẽ rationis, materia enim dicitur vniri formæ, & forma dicitur vniri materiæ: ergo ſi in alterutra ex iſtis ponatur relatio, quandoquidẽ altera etiam ſit capax, debet poni alia relatio in illa altera: ſed non poteſt poni vnus reſpectus in vtraque, tum quia accidens vnũ numero nõ poteſt ſubiectari in duobus ſubiectis realiter diſtinctis naturaliter, tum quia ſi ponatur vnus reſpectus vnionis in illis, deberet ille reſpectus referre illas vnitas alicui alteri termino, neque enim poteſt habere reſpectus pro termino ſuum ſubiectum.

*Probat*ur maior huius diſcurſus, tum quia hac ratione, quando ſunt duo ſimilia ſibi inuicem, ſi vnum ex iſtis dicatur ſimile per vnum reſpectum ſuperadditum, & alterum etiam dicitur ſimile per alium reſpectum; tũ quia non eſſet maior ratio cur poneretur in vno vnus reſpectus ſubiectiue, quàm alius in altero; quocumque autẽ aliqua forma eſt ponenda in aliquo ſubiecto, & non eſt maior ratio, cur ponatur in vno quàm in alio, debet poni in vtroque, aut ſi non poſſit poni in vtroque, debet vna in vno, & altera in altero poni, ſi id fieri poſſit.

32. *Dices cum Arriaga*, contra primam probationem maioris, diſparitatem eſſe inter ſimilia & vnita, quod vnita ſint in eodem loco, ſimilia vero ſint in diuerſis.

Contra, quia non ex eo, quod ſimilia ſint in diuerſis locis, ponuntur plures relationes; nam ſi poneretur vnica tantũ relatio ex parte vnus extremi per poſſibile aut impoſſibile, adhuc eſſent ſimilia, licet eſſent in diuerſis locis; ſed ex eo quod non ſit maior ratio, cur vna poneretur in vno quàm altera in altero: ſed non eſt maior ratio, cur vna vnio poneretur in vno ex vnitis, quàm altera in altero, licet ſint eodẽ loco: ergo diſparitas nulla eſt.

Dices ſecundo cum eodem diſparitatem eſſe, quod extrema ſimilitudinis ſint omnino eiufdem rationis, & conſequenter non eſſe maiorem rationem cur ſimilitudo ponatur potius in vno quàm in altero, vnde duplex debet poni, extrema vero vnionis Phyiſicæ de qua loquimur, ſunt diuerſæ rationis, & propterea poſſet excogitari ratio, cur in vno potius poſſet poni quàm in altero.

33. *Contra*, quia licet extrema ſimilitudinis ſint eiufdem rationis, verbĩ gratia, duo alba; tamen extrema diſimilitudinis ſunt diuerſæ rationis, verbĩ gratia, albũ & nigrũ; & tamen hoc non obſtante duæ relationes ponuntur in illis, nec poteſt excogitari ratio, cur in vno potius quàm in altero debeat poni relatio: ergo idem dicendum de extremis vnitis non obſtante diſtinctione eorum; & conſequenter diſparitas *Arriagæ* non eſt ad rem.

Conſirmatur, quia omnis relatio habet correlationem

ſibi correlative in termino, ſi nihil obſtet: ſed nihil obſtat, quod relatio vnionis poſita in materia habeat aliam correlationem ſibi correlative in forma, quæ eſt terminus eius, & nihil obſtat quo minus, ſi dicatur eſſe in forma, habeat aliam correlationem ſibi correlative in materia; ergo ſunt duæ relationes vnionis inter materiam & formam, vna ſubiectata in materia ac terminata ad formam; altera ſubiectata in forma & terminata ad materiam; quæ duæ relationes ſint ſibi inuicem correlationes.

Dixi autem in maiori, ſi nihil obſtet, quia poteſt aliquãdo interuenire impedimentum vel ex incapacitate termini, & ſic in myſterio Incarnationis vnio hypſtatica ſubiectata in natura humana non habet aliã correlationem ſibi correlative in Verbo diuino, qui eſt terminus eius, quia Verbum propter immutabilitatem nõ eſt capax nouæ entitatis ſibi inherenti. Vel etiam impedimentum poteſt eſſe ex defectu rationis fundandi, & ob hunc defectũ in pariete viſo non eſt relatio vlla, neque forma correlative viſioni, quæ ponitur in oculo, & per quam oculis refertur, vt videns ad parietem.

34. Addunt aliqui ad hæc, quod etſi vna vnio ſubiectata in materia ſufficeret, vt forma vniretur materiæ; nõ tamẽ ſufficeret vt vniretur intrinſecefſe debet vniri intrinſecefſe: ergo debet poni alia relatio vnionis in forma.

Conſirmant, quia ex difficultatibus maioribus myſterij Incarnationis eſt, quod natura humana poſſit intime vniri Verbo, faciendo cum ipſo vnum per ſe ſuppoſitũ, abſque hoc quod Verbum habeat vnionem in ſe ſubiectatam, per quam vnatur intime naturæ: ergo non debet aſſeri, quod id contingat in naturalibus, quoties vniantur materia & forma.

Verum hæc probatio parũ aut nihil roborat cõcluſionem; nam ſi intelligatur per vnionem intrinſecã formæ, quod forma vnatur per vnionem in ſe ſubiectatã, manifeſte petitur principium; id enim eſt, de quo quaeritur, & quod negatur ab aduerſariis. Si autẽ intelligatur per vnionem intrinſecã, quod intime coniungatur materiæ ſic, vt vbicumque ſit materia, ibi ſit forma, & vbicũque ſit forma, ibi ſit materia adæquata eius, falſum eſt, quod nõ vniretur forma materiæ intrinſecefſe per hoc, quod poneretur vnica vnio in materia, per quam vniretur formæ. Nec ſane eſt vlla difficultas, quod Verbum cõſtitueret vnũ per ſe cũ natura humana abſque vnione in ſe recepta, modo ponatur vnio in natura ad ipſũ; ſed difficultas ſumma eſt, quomodo poſſet vlla ratione terminare talem vnionẽ naturæ, ex qua ſequeretur ex ipſo & natura vnũ ſuppoſitũ, quod ſimul eſſet Deus & homo, nec ad hanc augendam aut diminuendã facit, quod recipiat ipſammet nouam vnionem, aut quod nõ recipiat.

35. *Obiicit primo*: Altera vnio eſſet ſuperflua, quia eo ipſo quo materia vniretur formæ, forma vniretur etiam materiæ, quamuis non haberet alteram vnionẽ.

Conſirmatur, quia vnica vnio vnit naturam humanam ſufficienter cum Verbo diuino: ergo vna ſufficit ad vniendam materiam & formam.

Reſpondeo negando ſequelam, & diſtinguendo eius probationem; ita vtraque vniretur per modum ſubiecti, nego; ita vna vniretur per modum ſubiecti, & altera per modum termini, concedo.

Et ſi quaeras, cur ſit neceſſe, quod vtraque vnatur per modum ſubiecti.

Reſpondeo, quia eſt eadem ratio de vno atque de altero, & poteſt vtraque ſic vniri.

Dices: Quamuis eſſet eadem ratio ex vtraque parte, tamen Deus poſſet determinare in qua deberet produci, ſicut ſi eſſent duæ cauſæ applicatæ materiæ; & non eſſet maior ratio, cur vna ageret in ipſam quàm altera, nec vtraque ſimul ageret, Deus determinaret, quæ cauſa ex iſtis deberet agere.

Reſpondeo, quidquid ſit, vtrum Deus poſſet determinare vnam ad recipiendam vnionem præ altera, de facto non eſſe dicendum quod ita determinet, quandoquidem poſſit poni conuenienter in vtraque, quia non eſt neceſſe recurrere ad determinationem cauſæ primæ, niſi quando habetur

habetur talis indeterminatio ex parte causæ secundæ, quæ non possit nisi per causam primam tolli. Illud autem exemplum de duabus causis non est simile, quia, ut supponitur, illæ duæ causæ non possent simul agere, sicut posset materia & forma simul recipere vnionem.

Ad confirmationem respondeo negando consequentiā, quia Verbum diuinum non est capax nouæ entitatis. Et confirmatur hæc responsio, quia quamuis Verbum diuinum sit simile vel dissimile creaturæ, non per relationem aliquam realem in ipso repperit ad creaturam, sed potius propter relationem similitudinis aut dissimilitudinis, quam habet creatura ad ipsum, non tamen vna creatura dicitur alteri creaturæ similis aut dissimilis, nisi à relatione in seipsa recepta; ergo quamuis Verbum diuinum diceretur vnicum creaturæ, non per vnionem in se ipso receptam, sed per hoc quod terminet vnionem creaturæ non tamen debet dici, quod vna creatura vnietur alteri, nisi habeat relationem vnionis in seipsa receptam.

37. *Obiicies secundo*, Vnio adæquata materiæ & formæ est illud, quo coniunguntur inter se: sed per vnicam vnionem sufficienter vniantur: ergo per vnicam vnionem adæquate vniantur.

Respondeo distinguendo maiorem: ita ut vtrique vnietur per modum subiecti, concedo; ita ut vtrique non sic vnietur, nego maiorem; & distinguo similiter minorem; priori modo, nego, posteriori, concedo.

Obiicies tertio, Partes continui copulantur vnico termino communi, & non duplici: ergo similiter dicendum est de materia & forma.

Respondeo, quidquid sit de antecedente, negando consequentiā; quia ille terminus communis quo copulantur partes continui, non debet esse subiectatus in partibus copulatis; sed solum debet intercedere inter illas, & præterea est quid absolutum: vnio autem debet subiectari in rebus vnitis per ipsam, aut in aliqua ex illis, & est quid respectuum.

38. *Quæres primo*, vtrum inter animam rationalem & corpus debeat etiam poni duplex vnio.

Respondeo affirmatiue, eadē enim est ratio hic & alibi.

Dices: Vnio subiectata in anima non posset esse spiritalis ex eo, quod esset diuisibilis, nam haberet terminum diuisibilem, scilicet corpus, nec posset esse materialis cum subiectaretur in anima spiritali, nec posset esse spiritalis & materialis simul, quia hoc repugnat in re saltem non composita.

Respondeo illam vnionem esse spiritalem, & etiam diuisibilem, neque repugnat spiritalitati talis diuisibilitas, quæ non petat habere diuisibile subiectum, ut alias ostendam in libris de anima.

Alij dicunt vnionem illam eo quod spiritalis sit, esse indiuisibilem. *Contra*, quia non eadem numero vnione vnietur anima pedi & capiti, quandoquidem posset esse vnio eius ad caput sine vnione ipsius ad pedem, ut patet in homine, cui abscinderetur pes: ergo vnio totalis animæ ad corpus habet partes, secundum quarum vniam vnietur capiti, verbi gratia, & alteram pedi.

Respondent ipsi negando antecedens, dicunt enim quod, quando fit ut aliqua pars corporis non informetur ab anima, tota vnio animæ tollitur, & vnio noua producit, qua vnietur partibus, quas informat: & similiter dicunt quod, quando aliquam partem de nouo informat anima, ut verbi gratia, in nutritione tollatur vnio præcedens, & eius loco ponatur alia indiuisibilis vnio, qua vnietur & partibus præexistentibus & parti per nutritionem acquisitæ.

39. *Sed contra*, quia inde sequeretur quod destrueretur homo pro quolibet instanti, pro quo auferretur ab illo vlla pars corporis, & quo acquireretur vlla pars corporis per nutritionem; quod est absurdum. Probatur sequela, quia tum destruitur homo, quando tollitur vnio totalis animæ eius ad corpus. Nec refert quod succedat alia vnio, quia ad conceptum destructionis nihil aliud requiritur quam quod tollatur vnio, siue alia succedat, siue non; & certe *Scotista* tenentes hanc, viam parū sunt consentanei Doct. & multum patrocinantur Thomistis

in alia difficultate, vbi inferimus contra eos, quod si materia haberet existentiam à forma, toties quoties reciperet nouam formam, destrueretur & annihilaretur, ut facile consideranti patet. *Præterea* & præcipue, si potest saluari sine inconuenienti, quod tota hominis vnio non pereat ad acquisitionem aut perditionem cuiuslibet partis, sine dubio id conuenientius fit, & aduersarij non nisi necessitate compulsi asserunt oppositum; sed id potest fieri sine vllō inconuenienti tenendo vnionem esse diuisibilem, ergo id debet teneri.

40. *Quæres secundo*, vtrum vniones partiales, quibus partes formæ vniantur cū partibus materiæ, aliis vnionibus inter se vniantur. *Respondeo* omnes vniones partiales, quæ possunt esse sine se inuicem, si secundū se vniantur, inter se vniri per vnionem à se distinctam, qua alias non posset saluari quomodo haberent de nouo denominationem vniti. Dixi *secundum se*, quia forte de facto non secundum se vniantur inter se, sed tantum ratione subiecti, quatenus scilicet omnes partes subiecti, in quibus subiectantur, inter se vniantur integraliter, hoc enim ipso quo ita fieret, etiam partes vnionis correspondentes illis partibus inter se sufficienter vnirentur sine vlla speciali vnione, quæ secundum se inter ipsas intercederet.

41. *Quæres tertio*, vtrum possit Deus de potentia absoluta ponere vnionem in materia ad formam non ponendo vnionem in forma ad materiam.

Respondeo difficile esse assignare repugnantiam cur id non posset facere, cum sit agens liberum, & vnus respectus non dependeat intrinsece, nec extrinsece ab altero: dicere autem quod sint simul natura, & quod propterea non possint esse sine se inuicem isti duo respectus, non satisfacit: quia vel intelligitur per hoc, quod ita sint simul natura, ut non possint esse etiam supernaturaliter sine se inuicem, & hoc est petere principium: vel intelligitur per hoc, quod sint naturaliter taliter simul, ut non possint naturaliter esse sine se inuicem, & hoc posset esse verum, quamuis supernaturaliter possent esse simul. Si tamen actio & passio, & vbi intrinsecum ac extrinsecum habeant tam necessariam connexionem, ut non possit poni actio sine passione, nec vbi extrinsecum abique intrinseco, cur etiam vnio materiæ & formæ non haberet talem connexionem? Itaque quod de istis dicitur, de his etiam dici debet; ego pro præsentī nihil resoluo.



DISPUTATIO VI. DE COMPOSITO SUB- STANTIALI.

CONSEQVENS est ut post tractatum de principiis intrinsecis corporis naturalis, seu compositi substantialis, iam in hac vltima disputatione libri primi Physicorum de ipso composito agamus.

QVÆTIO I.

An compositum substantiale distinguatur reatier à suis partibus unitis.

1. **S**UPpono tanquam certum, ac ab omnibus admissū, dari compositum physicum constatum ac constitutum ex partibus physicis, nempe ex materia, & forma, quas propterea diximus fuisse principia corporum naturalium compositorum in facto esse.

Si autem queratur cur ex materia prima & forma substantiali sequatur per se vnū compositum, potius quam ex subiecto & accidentē. Ex pluribus rationibus, quæ afferuntur, nulla melior est, quā quod materia & forma sint incompletæ substantiæ, quarum vna est in per se potētia ad alterā, & altera est per se actus ipsius: quod ex dictis de materia & forma colligi facile potest. Accidēs vero nō est per se actus subiecti, siue proximi, quod aliquādo est aliud

An vnio
nes par-
tiales di-
stinctæ
vniantur
inter se.

An possit
poni vnio
in materia
abique
vnione in
forma.

Datur du-
plex vnio
enim in
homine.

Vnio ani-
mæ est
spirita-
lis.

Cur se-
quatur
vnū per
se ex ma-
teria &
forma po-
tius quam
ex subie-
cto & ac-
cidente.